

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XVI. De communione nostri spirituali cum Christo

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)



CAPUT XVI.

DE

COMMUNIONE
NOSTRI SPIRITUALI
CUM CHRISTO.

CHRISTUS ECCLESIAE SUAE SPON-
sus, & quæ spirituales nuptiæ: Ita sepe dicitur
in scripturis Christus; nec id
abs re.

1361. 1. *Ob sponsalia illa, quæ cum ecclesia, Spon-
sâ suâ, instituit; in iudicio & misericordia. Ose. 2. v. 19.
& 20. in pacto, quod pepigit cum sponsa, Ezech. 16.
v. 8. tanquam unicus ille vir, 2. Cor. 11. v. 2. Unus enim
Christus sponsus & vir Ecclesiæ.*

2. *Ob sponsi ipsius qualitates & varia attributa,
qualia*

1. *Amor ingens. Cant. 8. v. 6. Ephes. 5. v. 25. Apo c. 1.
v. 5. 2. Cor. 5. v. 14. qualis solet in sponso esse.*

2. *Alacritas ad currendum viam, Psal. 119. v. 6. quam
cucurrit ob Sponsæ suæ salutem, Psal. 40. vers. 9. Ecco
venio: ille verus Jacob, qui ob Leam gentium, & Ra-
helem Judæorum, hoc est, totam ecclesiam, duram
servitutem servivit, Genes. 29. vers. 20. seq. Sicut alacer
est sponsus ad ducendam sponfam.*

3. *Pulchritudo: quam in suo Sponso suspicit spon-
sa. Pulcherrimus est sponsus noster Christus, Psal. 45.
pulchris nos ornat vestibus, Es. 61. v. 10.*

4. *Exaltatio & gaudium. Gaudet enim spiritalis
sponsus Christus de ecclesia sua, Es. 62. vers. 5. Confer*

Deut. 30. v. 9. Esa. 65. v. 19. Soph. 3. v. 17. Luc. 15. v. 7. Gaudet ergo de sponso suo etiam sponsa, ut gaudium perfectum sit sponsa.

3. *Ob cubile sponsi*, quod est ecclesia, cor cujuslibet pii, in quo requiescit sponsus Christus.

4. *Ob arrham*, quæ est Spiritus S. pignus & sigillum hereditatis nostræ: Vide infra de *Spiritu Sancto*, Apoc. 22. vers. 17. Spiritus & ecclesia conjunctis votis Christi adventum expetunt, *Spiritus & sponsa dicunt: veni.*

5. *Ob nuptias*. Celebrat quoque nuptias Sponsus noster spiritualis. 1. *Gratie* in verbo, Matth. 22. vers. 4. *Venite ad nuptias*. Horsum pertinent curatores, qui emissi. Tales sunt ministri verbi, ut Johannes, Joh. 3. vers. 29. 2. *Glorie* nuptias quoque celebraturus est, Apoc. 19. v. 7. & 9. Harum nuptiarum typus. Esther 2. vers. 18.

6. *Ob unionem & communionem*: Sicut enim inter sponsum & sponsam intercedit unio carnis & communio bonorum: Ita quoque cum Christo habemus unam carnem, quoad humanitatis substantiam, Heb. 2. v. 14. non personalem subsistentiam. Unio hæc in typo Adami adumbrata, Genes. 2. v. 23. non obscure ab Apostolo applicata, Ephes. 5. v. 23. seq.

2. Communionem quoque bonorum habemus; fecit enim nos secum sedere in cœlestibus, Eph. 2. v. 6. benedixit nobis, ut benedictum illud semen in cœlestibus Ephes. 1. vers. 3. quia ille verus homo de cœlo, 1. Corinth. 15. vers. 47. 49. regnum *gratie* suæ nobis commune fecit, Col. 1. v. 13. regnum *glorie* commune fecit, Joh. 17. v. 24. 2. Tim. 4. v. 18. vitam communem fecit, Joh. 14. v. 19. *Vivo ego, & vos vivetis*. Hæc est, κατ' ἐξοχὴν, filii communio, ad quam nos Deus vocavit, 1. Cor. 1. v. 9.

Com-

Communio Spiritus S. quam Apostolus precatur
Corinthiis, 2. Cor. 13. v. 13. Phil. 2. v. 1.

Communio mysteriorum Evangelicorum, quæ nobis per Spiritum suum revelat Sponsus noster Christus, tanquam ænigmata illa *Simsonis*, Eph. 3. vers. 9. Philipp. 1. v. 5.

Communio tribulationum, Philipp. 3. vers. 10. *Ex aquo enim crucis jugum ducere*, conjugum est: ita & nostrum erit Christi jugum crucis ferre. Confer. 1. Joh. 1. v. 3. 6. 7.

ECCLESIA QUALIS SPONSA.

1362. 1. *Ornata valde*, Psal. 45. v. 10. Esa. 49. v. 18. cap. 61. v. 10.

2. *Obliviosa*, mundi scilicet & rerum terrenarum, Psal. 45. v. 11. *Filia obliviscere domum patris tui*, h. e. mundum, Adami patris domum; Phil. 3. v. 13. *Obliviscor, quæ retrò sum*. Conf. Jer. 2. v. 32.

3. *Fructuosa*, quia venit de Libano, Cant. 4. vers. 8. monte fructuoso. Libanus quoque conscientie candorem significat, in quo Deo servit Ecclesia, ut Paulus 2. Tim. 1. v. 3. Libani ligna imputribilia sunt, fragrantissima sunt; ita fidei lignum imputribile est, & fragrantissimum, quod præ se fert Ecclesia, quod educitur ex aquis, ne submergatur, ut ferrum, 2. Reg. 6. in hitor. Elisai.

Vulnerans cor sponsi, Cant. 4. v. 9. mortis vulnus infixit Ecclesia Sponso; nam pro Sponsa mortuus est Sponsus: vulnus amoris infixit Ecclesia; Dilectio enim fortis est, ut mors, Cantic. 1. versu 6. Sagittâ autem fidei vulneramus cor Jesu nostri; Ad hunc scopum collimat Ecclesia; Ad hunc fidei arcum nostrum tendit Patris superni nostri cura, qui manum suam nostræ imponit, fenestram ad orientem prospicientem aperire jubet, monetque ut fidei sagittâ

sagittâ rectâ cor feriamus Jesu Christi. Hæc erit sagitta salutis à Domino; in Christo enim solo nostra salus, Act. 4. vers. 12. Sagitta salutis contra infernales Syros, peccatum, mortem, Allegoriæ fundamentum, 2. Reg. 13. v. 16. 17.

5. *Hortus conclusus* est Sponsa: 1. Hortus ob fidei amœnitatem, conscientiæ tranquillitatem & fragrantiam, Rom. 14. v. 17. ob Spiritus Sancti inebriationem, tanquam fluminis fecundantis hortum, ob bonorum operum fertilitatem.

2. *Conclusus* est ob mundi scandala, quibus non deterretur Ecclesia à sponso suo spirituali. Hortus conclusus est Ecclesia sponsa, quia hypocritæ non habent in ea spiritualium bonorum communicationem; conclusus est hortus, quia non amplius eum dissipare potest coluber ille insidiosus. Pater enim agricola, Joh. 15. v. 1. sæpe muniit hunc hortum; turrim angelicæ custodiæ in eo exstruxit, Esa. 6. v. 2. Adamus secundus; quando malè hortum paradisi custodierat Adamus primus.

6. *Gaudent præsentia sponsi*, Matth. 9. v. 15. Filii sponsi non possunt lugere, quamdiu sponsus cum illis est; Ita vetat nos Deus timere & trepidare, quia ipse nobiscum sit, tanquam animæ sponsus, Esa. 41. v. 10. & 13. c. 43. v. 1. 5. c. 54. v. 4.

7. *Expectans sollicitè adventum sponsi*, Matth. 25. v. 1. lampadibus suis instructa probè, exiens de mundo hoc tanquam Babylone, de cognatione & patria, Gen. 12. vers. 1. ubi nominis divini gloria hoc exiget. Obviam procedens sponso, lampadibus fidei omnes hostes fugans ut Gideon, Jud. 7. lampadibus, lucens ut sponsa illa principis lucis, quæ lucem semper dilexit. Ergò cum sponsus venerit, sponsam quoque suam in luce

luce deprehendet, non in tenebris, 1. Thesfal. 5. v. 5.

COMMUNIO NOSTRI CUM

Christo quæ?

1363. *Est gratiosa inhabitatio*, 1. Pet. 1. v. 4. Joh. 3. v. 24. Joh. 14. v. 23. cap. 15. v. 1. seq.

2. *Natura participationis*, Heb. 2. vers. 14. Eph. 5. vers. 30.

3. *Spiritus Sancti donationis*, 1. Cor. 6. v. 17. 1. Joh. 3. v. 24. c. 4. v. 13. Rom. 8. v. 11. Eph. 4. v. 4.

4. *Afflictionis*, Rom. 8. v. 17. 18. 1. Cor. 15. vers. 49. Tolle crucem tuam, & Christum sequere, Matth. 10. v. 38. ut Simon ille, Luc. 23. v. 26.

5. *Bonorum cælestium*. Christus enim factus nobis sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. Nobis natus, Esa. 9. nobis datus, Johan. 3. v. 16. Omnia nobis cum illo data sunt, Rom. 8. v. 32. Bonum filiationis, Joh. 1. v. 12. adoptionis, Rom. 8. v. 16. 17. libertatis veteræ, Gal. 5. v. 1.

6. *Mutua piorum devinctio*: Ea enim ex Christo oritur, Spiritum Sanctum largiente, qui vinculo illo spiritualis unionis pios inter sese devincit, Ephes. 4. vers. 4.

OSCULUM CHRISTI, QUOD?

1364. Cant. 1. v. 1. *Osculetur me osculo oris sui. Osculum hoc est gratiosum in verbo*, in quo nos ore suo osculatur Christus, ore ad nos nobis loquens, ut Mosi, Num. 12. v. 8. per ministros: hos qui audit, ipsum Christum audit. Itaque in verbo hoc osculum proponitur, Gen. 27. v. 26. Isaac osculum sibi dari à filio petebat. Anima fidelis gratiosum hoc verbi osculum expetit: *Osculare me, Domine Jesu, osculo gratia tua!* Jacob Rabelem osculatus est, non sine futuri matrimonio-

matriunioni præfagio, Gen. 29. v. 11. magno amoris indicio. Ecclesia Rachel est, quam osculatur Christus osculo gratiæ in verbo, donec eam osculo gloriæ beet in altero seculo, quando nuptias celebraturus est, Apocal. 19. v. 7. quando nos, ut fratres suos, osculo æternæ lætitiæ excepturus est, ut Joseph, Gen. 45. v. 15. pace verâ & justitiâ solidâ plenè se exosculantibus, Ps. 85, 11. Mandus nobis sua præbet oscula, sed fallacia sunt & proditoria, amoris maledicti incentiva, ut Judæ, Matt. 26. v. 49. Hæc oscula fugiamus, ne irretiamur: Christi gratiosum osculum amemus, pedes ejus in Evangelio osculemur, quia per eos benedictio ad nos venit: Alleg. Gen. 30. v. 30. Ita fiet, ut in collum nostrum ruat sponsus ille misericordiarum, & nos osculetur, Luc. 15. v. 20.

2. *Osculum pacificum* hoc est & amicum: Christus enim pax nostra est, Eph. 2. v. 17. Ergò pace restitutâ, osculum pacis indicem retulit.

3. *Osculum gratulatorium est.* Cum enim osculatur nos Christus, cum nos quoq; osculamur ex genio reatorum; Osculum ergò Christo fidei & gratulatorium figimus, tanquam duci militiæ nostro, qui rem felicissimè gessit, hostes omnes fudit. Tale enim osculum libabant olim milites Imperatori triumphanti, vel Regi. Pagnin. ex R. Abrah. in radice פוש. Huc spectat Ps. 2. v. 12. *Osculamini filium.*

4. *Osculum reconciliatorium est:* cum enim osculatur nos Christus, pro reconciliatis nos habet. Deo enim verè reconciliati sumus, Rom. 2. v. 10. 2. Cor. 5. v. 18. Eph. 2. v. 16. Col. 1, 20. David Absolonem osculabatur, fratricidam reducem, 2. Sam. 14. v. 33. Ita cœlestis

ftis David Christus pœnites peccatores osculo reconciliationis excipit, in collum ruit, Luc. 15. vers. 20. eorum, qui per pœnitentiam veram pedes ejus osculantur, ut Luc. 7. vers. 38. O felicem commutationem! Peccator pedes Christi osculatur: Christus peccatorem eripit, osculum oris ipsi figit, in collum ruit. Hoc reconciliationis osculum olim sibi invicem Christiani figebant, ad sacram synaxin accessuri, nec pudebat eos externo hoc symbolo internum pietatis affectum exprimere, teste August. lib. de Amic. cap. 6. Tom. 4. Oper. col. 1092. lit. B. C. *Heu ubi prisca pietas!*

5. *Osculum hoc Christi est lætitiæ plenum*, quale est inter amicos diu non visos. Ita cum tibi Christus non videtur in cruce, Solatii osculo protinus adest, Psal. 119. v. 92. *Nisi verbum tuum solatio mihi fuisset, periissem in afflictione mea.* In judicio demum extremo hoc osculum solidæ lætitiæ plenum Christus nobis figet. Sacro tui amore nos inflamma, sanctissime Jesu, ut tibi, gratioso hospiti nostro, osculum fidei demus, osculum pœnitentiæ, Luc. 7. v. 45. ut nos fratres tuos, in die nuptiarum tuarum, Apoc. 19. v. 7. osculeris!

BONA COMMUNICATA à CHRISTO

Balsamum sunt.

1365. Psalm. 133. vers. 2. *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam Aaron.* Bona illa Christi sunt optimum illud unguentum & balsamum, gratia ipsius, meritum & justitia, varia dona. Hoc enim unguento per Christum unguimur, tanquam sacerdotes spirituales. Hæc spiritualia unguenta in capite sunt. Caput Christus est, qui nos unxit; ideo non sibi soli retinuit unguenta, sed hominibus illa dedit;

In barbam descendit, hoc est, Apostolos, qui variis donis exornati fuerunt, Actor. 2. qui Christo proximi fuerunt.

In oram vestimenti descendit, h. e. totam ecclesiam, Christi vestibus indutam, Esai. 61. v. 10. Eph. 4. vers. 8. Psal. 68. v. 19. Confer. Joh. 16. v. 7. 8.

Hæc bona & dona Christi sunt ros Hermon, obrosis propria, qui in alto generatur: ita dona Christi in alto, & ex alto mittuntur; ideo ascendit in altum, Psal. 68. vers. 19. Ros ille donorum Christi serenum cordis aërem amat, spiritualiter nos inebriat, Eph. 5. v. 18. *Impleamini spiritu*, dulcedinem Christi & verbi in nobis efficit. Psal. 19. *Quam suavia eloquia tua!* Aëstum crucis mitigat; quia patientia, spes, fides, dona illa Christi nos in cruce sustentant, Rom. 5. v. 4. *Tribulatio parit patientiam.*

Bona illa & dona Christi sunt sicut ros Hermon & Sion. Hermon enim mons ultra Jordanem, Sion cis Jordanem. Ab utroque autem montis latere habitabant Judæi. Significatur ergo donorum Christi

1. *Unversalitas*, quæ non solum in Judæos, (signif. per montem Sion.) verum etiam in gentes (per montem Hermon adumbr.) effusa sunt largissime, Actor. 15. vers. 8. 9.

2. *Fertilitas*: ut enim rore Hermonis, ager Bafanis fertilis redditur: unde illius soli fœcunditas per universam scripturam illustris est: ita ecclesia ager spiritualium frugum fertilis reddita est, rore cœlesti donorum Christi. Vid. sup. hoc tit. verba: *In oram vestimenti.*

CHRISTUS VERE ADAMUS SECUNDUS;
& quomodo primo dissimilis, (Ex Rom. 5.)
& similis.

1366. 1. *Nomine.* Adam significat hominem rubrum vel rufum. Christus verè ruber & rubicundus. Vid. supr. cap.9.

2. *Communicatione.* Adam enim in posteros derivavit culpam actualem, reatum legalem, pravitatem naturalem.

1. Culpâ actualis derivata est in posteros, omnes enim in lumbis Adami fuerunt posteri per rationem, ut vocat, feminalem; ut Levi in Abrahami lumbis decimatus esse dicitur, Heb.7.v.9.

2. Reatus legalis in posteros derivatus simul est; Adam enim peccavit, non ut individuum, sed ut species; quemadmodum etiam gratiam accepit non pro se solum, sed pro totâ posteritate, in quam hanc gratiam transfudisset, si modò in integritate perstitisset.

3. Illa quoque naturalis pravitas propagata est in posteros: Post lapsum enim Adam filios ad suam imaginem (corruptæ scilicet naturæ; hæc enim est veteris & terreni Adami imago) procreavit, Gen.5.v.1.

Adam verò secundus hæc sustulit, & pro his malis maxima bona communicavit; Pro culpâ actuali, & reatu legali obedientiam activam & passivam, quâ legi satisfecit, pœnam sustulit. Pravitatem illam naturalem paulatim tollit regeneratione Spiritus sancti, qui nos subinde ad novi hominis imaginem renovat. Hæc dona sunt illa, gratia Dei, fons, vers.15, gratia redundans maximè v.17. beneficium gratuitum, vers.15. & 16. donum in gratia, ibid. justitiæ, v.17. justificatio vitæ, vers.18.

3. *Humanitate & unitate.* Adam homo unus & verus fuit, vers.12. Christus homo unus & verus, sed

Qq

non

non merus; est enim simul Dominus, cap. 5. v. 1. benedictus Deus, cap. 9. v. 5.

4. *Medii paritate.* Adam primus per suum *πρωτη* culpam transfudit, v. 15. 19. Christus per suum *δυνατωμα* justitiam vitæ reddidit.

5. *Subsectorum universalitate.* Primus Adam in omnes homines miseriam derivavit: *Christus in omnes omnino homines* gratiam paravit, quoad oblationem & voluntatem universalem circa salutem hominum. Eadem tamen credentibus solum salutaris fit, non DE I invidia aut fatali quodam decreto (Increpa ô DEUS Stoicos istos fabros, animarum & omnis solatii pestes!) quo reliquos à gratia repulerit; sed propria incredulorum culpa; Per fidem enim propositum est hoc propitiatorium, Rom. 3. v. 24. 25.

6. *Effectorum dissimilitudine.* Adam condemnationem, vers. 15. mortem, vers. 12. peccatum ibid. lapsum, v. 15. inobedientiam, v. 19. reatum v. 16. intulit: Omnia hæc sustulit Adam secundus.

1. Damnationem, Rom. 8, 1. & v. 34.

2. Mortem, vitam enim reddidit, ut vitæ princeps, Act. 3. v. 15. vitam illam Dei, Eph. 4. v. 18. & æternam Joh. 3. v. 16. in qua regnabimus, Rom. 5. v. 17. Hæc vita est finis noster, Roman. 6. v. 22. mors morti factus, 1. Cor. 15.

3. Peccatum: Factus enim nobis justificatio est, 1. Cor. 1. vers. 30. peccatum pro nobis justificatio est, 2. Cor. 5. v. 21. mundans à peccato, 1. Joh. 1. v. 7. 1. Petr. 2. v. 23. cap. 3. v. 18. Hebr. 9. v. 26. Coloss. 1. v. 14.

3. *Lapsus*: in Christo enim resurgimus, Coloss. 3. vers. 1. resurrectione nostra, Johan. 11. v. 25. & resurrectione

ctio-

ctiōne prima vel spirituali, Apoc. 20. v. 5. & resurrectiōne secunda vel carnis, Apoc. 20. v. 14. Joh. 5. v. 29. 1. Cor. 15. v. 12.

4. *Inobedientiam*: sua scilicet obedientia, Phil. 2. 8. Pl. 48. v. 9. *Ecce venio*, Rom. 5. v. 19.

5. *Reatum*, Rom. 8. v. 1. Pii non judicantur. Ergo reatum non habent, Joh. 3. v. 18. sicut enim Christus è judicio sublatus est, Esa. 53. v. 8. Ita omnes credentes secum è judicio liberavit; Omnes enim ad se traxit, Joh. 12. v. 32. ad se, cui Pater omne judicium dedit. Felix, qui tam propitio gaudet iudice! Joh. 5. v. 22. & 24.

CHRISTUS QUOMODO CAPUT

nostrum, & pii membra?

1367. Supra tactum fuit cap. 9. de Christo. Vid. in Indic. Pii autem membra sunt corporis mystici Ecclesiæ: ita enim sæpe dicuntur, Rom. 12. v. 5. & alibi, ut patebit.

1. *Ratione corporis constitutionis*. Membra corpus constituunt: Pii mysticum Ecclesiæ corpus efficiunt, 1. Cor. 12. v. 27. Eph. 4. v. 15. 16. Hujus corporis

1. *Salvator* Christus est, Eph. 5. v. 23. & quidem perpetuus, Hebr. 7. v. 25. animarum Salvator est, Luc. 9. v. 56. Osee 1. v. 7. Matth. 18. v. 11. plenè salvaturus ab omni malo, 2. Tim. 4. v. 18.

2. *Ædificator*. Christus enim corpus suæ Ecclesiæ latere proprio ædificavit in cruce obdormiens, ut in typo Adami præfiguratum: per ministros ædificat, Eph. 4. v. 12.

3. *Nutritor* corporis sui: Nutrit enim Christus corpus Ecclesiæ succo vivifico corporis & sanguinis sui, cibò verbi: sicut suum quisque corpus nutrit.

Q. 9 2

4. 117

4. *Informator.* Christus corporis Ecclesiæ suæ informator est, misis Spiritu S. à quo pii reguntur, Roman. 8. v. 14.

2. *Inhabitionis.* Membra inhaerent: Pii omnes inhaerent Ecclesiæ, ut membra Ecclesia tota Christo. Extra arcam Noæ hanc, Ecclesiam, nulla salus.

3. *Nutritionis.* Membra nutriuntur in corpore. In mystico Ecclesiæ corpore spirituale nutrimentum accipiunt membra. Verbum enim Dei hoc suppeditat, quod verus est, ex quo vivimus, cibus. Vid. supr. c. 1. de scriptur. all. 2. & 11.

4. *Spiritus influxionis.* In membra corporis spiritus animalis influit, motum ciet: ita Spiritus Sanctus in pios, ut membra, influit, motus spirituales ciet, à capite nostro fluit hic spiritus, quia dat hunc spiritum, Joh. 15. v. 7. Hinc pii membra Spiritus Sancti dicuntur, I. Cor. 6. v. 19. Filii Dei reguntur à Spiritu Sancto, Rom. 8. v. 14.

5. *Mutua devinctio.* Membra sibi invicem connexa devincta sunt. Ita pii connexi, devincti, Rom. 12. v. 5. Eph. 4. v. 18. In Christo coagmentati, Eph. 2. v. 21. vinculo perfectionis illò charitate, & Spiritus unitate.

6. *Diversa ordinatione.* Non eadem omnium membrorum munera sunt, sua quæque singulis distribuit Deus: ita membrorum Ecclesiæ diversa in statione ordinatio. Alii loco superiorum, inferiorum loco alii sunt, Ephes. 4. v. 12. 2. Cor. 12. v. 18.

7. *Infirmorum peculiari ratione & estimatione.* Quæ ignobiliora membra putamus, hæc honore abundantiori ornamus, I. Corinth. 12. v. 23. Ignobilia membra sunt contempti, sunt viles, abjecti. Hos dum putas

putas esse ignobiles, et tunc nobiles, cum despicias, hono-
ras: Abiectos enim Deus eligit, 1. Cor. 1. v. 27. stultos
ignobiles. Vide, eligit te abiectum Deus, quid turba-
ris? ô anima! Elegit te mundus, respicit te, si mundus
despicit, Esa. 66. v. 2. seq.

8. *Mutuâ compassione*, quæ est inter membra cor-
poris, 1. Cor. 12. v. 26. Talis quoque compassio est inter
viva Ecclesiæ membra, gaudet cum gaudentibus, Ro-
man. 12. v. 15.

CHRISTUS EST OLEA,

pii olivæ.

1368. Rom. 11. v. 17. & 23. 1. *Ob loci, quem amat, qualitatem*. Olea amat calidum & siccum, teste Palad. lib. 12. de re rustica. Spiritualis olea nostra amat cor Dei amore calidum, Joh. 14. *Si quis diligit &c. veniemus ad eum*; & siccum, non humore imbutum rerum terrenarum, Esa. 41. v. 30. v. 20.

2. *Ob eximiam fertilitatem*. Columel. lib. de arborib. cap. 17. oleæ spatium sexagenorum pedum tribuendum esse monet, ut spatium crescendi habeat. Olea nostra Christus fertilissima est, in eo, quod occupavit, pectore. Ibi mille fructus justitiæ, Gal. 5. v. 6. *Fides per charitatem efficax est*.

3. *Ob ligni soliditatem*, quæ est in olea. Solidissimum vitæ lignum Christus est, bene tornatum in passionis tornario, variè sculptum in crucis officina. Pertinet huc constantia Christi.

4. *Ob ligni perpetuam viretatem*, Ps. 52. v. 10. Ita Christus olea nostra semper lignum viride fuit in passione, in vita, in morte, reviruit ut vera Aaronis virga.

5. *Ob floris suavitatem*. Oleæ spiritualis nostræ

Q 3

flos

flos in doctrina & operibus temper suavissimus, acceptissimus fuit, ex quo fideles mel vivificum hauserunt.

6. *Ob fructuum qualitatem.* Fructus enim oleæ i. pinguens. Fructus oleæ spiritualis nostræ maximè pingues sunt, Ps. 23. Impinguasti oleo caput meum, convivium pingue nobis fecit. Oleæ fructus dulces sunt: Tales & spiritualis oleæ fructus. Psal. 34. v. 9. *Gustate quàm suavis sit Dominus.* 3. Oleæ fructus pulchri sunt, Ose. 14. v. 7. Syr. 24. v. 19. Pulcherrimi sunt oleæ spiritualis (Christi nempe) fructus in oculis credentium, in oculis Dei Patris. Fructus autem Christi sunt ejus innocentia & legis impletio.

7. *Ob liquoris olea utilitatem.* Oleum enim præbet pabulum lumini, medelam vulneri, escam esurienti. Christus nutrimentum in nobis est spiritualis luminis, nempe Sp. Sancti, medela vulnorum nostrorum, Es. 53. *Livore ipsius sanati sumus, escam esurienti animæ, Es. 30. v. 20. Joh. 6. præbet Christus.*

8. *Ob radicis amaritatem.* Olea radicem habet amaram, olea spiritualis Christus radicem amaram habet, Rom. 7. per tot. cum in corde pii plantatur, aut ipsi pii huic oliyæ implantantur, sed tamen fructus ejus dulcescent, Psalm. 34. versu 9. Dei suavitas est in solo Christo.

9. *Ob singularem cum quercu avritatem.* Olea viciniam quercus non fert. Christus spiritualis olea viciniam spiritualium quercuum non fert: hi sunt impii, qui sunt quercus, quibus folia defluunt, Esa. 1. v. 3. Hi sunt quercus Basanis, hoc est, propriæ innitentes fecunditati, Esa. 2. v. 13. sicut terra Basanis fertilissima fuit. Hi sunt quercus infrugifera & ligna sicca; idè

ideo excindentur in die iudicii, ululare jumentur,
Zach. II. v. 2.

Olea ergo spiritualis illa Christusest, in quo pendent pii, ut olivæ. Vide supra cap. 8. Autor Plinius est, quod, quanto diutius olivæ inhæreant oleis, tanto meliores fiant: ita quando diutius Christo, tantò melior efficeris semper. Infrugiferum palmitem fastidit hæc vitis, Joh. 15. v. 2. seq. Oleastrum non fert olea, nisi naturam mutet, amaritudinem deponat. Ita nec Christus fert, olea spiritualis, malos, hoc est, oleastros: amaritudinem malitiæ deponant necessum est.

10. Ob mysticam significationem. *Ex ligno olea & duos Cherubinos & duas januas & postes fieri mandavit Salomon, 1. Reg. 6. v. 23. seq.* Christus verum olea lignum, ex hoc duo Cherubin, obedientia activa & passiva, quæ regunt Mosis tabulas. Ex hoc ligno vera janua in templo cœli nobis parata; postis simul paratus, in quo janua pedet.

CHRISTUS EST ARBOR, PII sunt rami.

1369. Gen. 2. v. 9. *Arbor vel lignum vita in medio paradisi.* Christus est lignum vel arbor illa

1. *Amœnissima.* 1. *Ob proceritatem:* pertingit enim ab infima terra usque ad cœlum, Ephes. 3. v. 18. *miseri cordia* videlicet *longitudine*, qua compulsus descendit in inferiores partes terræ, Ephes. 4. v. 9. & ad patrem rursus ascendit, ut nobis locum pararet, Johan. 14.

2. *Ob viredinem.* Christus verè arbor viridis est, nunquam marcescens, Ose. 14. v. 9.

Q 9 4

3. 06

3. *Ob fructuositatem*, de qua in sequentibus, Num. 3.
 2. *Altissima*, omnes supereminens arbores. Hujus doctrina altissima, Num. 24. v. 16. nomen altissimum. Psal. 7. v. 18. Deus ille altissimus, Dan. 5. v. 18. Filii Dei altissimi, Luc. 8. v. 28.

3. *Fructuosissima*. Christus enim arbor illa est, singulis mensibus, fructum ferens, etiam folia fructuosissima & sanitatem gentibus restituentia. Folia hæc *verba Christi* significant, quibus strepitum facit in hoc mundo. Spiritus S. hæc folia agit. Apocal. 22. v. 12. tanquam tenuis ille ventus prophetæ Elisæ visus, 1. Reg. 19. v. 12. Itaque hujus arboris fructus

1. *Sunt durantes*, non marcescentes, Joh. 15. v. 6.

2. *Expectati fructus sunt*. Pii desiderant fructus in se, non reperiunt in se, in Domino inveniunt, Ose. 14. *in me fructus reperies tuos*, v. 9.

3. *Maturi sunt fructus & perfectissimi*, sanctificatio, justificatio, redemptio, 1. Cor. 1. v. 30.

4. *Suavissimi sunt fructus*, odorem spargentes fragrantia Deo patri, Ephes. 5. v. 2.

5. *Copiosissimi sunt*. Vid. Rom. 5. v. 13. 14. 15. Abundantia gratiæ & donum appellantur.

4. *Immobilis arbor*. Venti & turbines arbores concutunt, nonnunquam radicibus evellunt; Christus arbor immobilis, petra fixa est, spernens inulta ventos. Huic arbori insitus quisquis est, ejus spes non eradicabitur, ex querela Hiobi cap. 19. v. 10. sed firma persistabit, Ps. 125. v. 1. Ps. 9. v. 19.

5. *Semen in se habens*, 1. Vitæ æternæ, Joh. 3. v. 16. *Non pereat, sed habeat vitam æternam*. Ipse est vita æterna, 1. Joh. 5. v. 20. 2. Semen Dei vel Spiritum S. Conf.

Conf. Spiritus sanctus est semen Dei. Hunc opulenter in nos effudit, Tit. 3. v. 6. Semen verbi, ex quo regimur filii Dei, Jacob. 1. v. 18.

6. *Vivifica arbor*: Dans vitam naturalem: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Vitam spiritualem cum gratiæ, qua vivunt huic arbori insti ramusculi, Galat. 2. v. 21. tum gloriæ, Joh. 17. v. 24. *Pater, ubi ego sum, volo ut mecum sint, quos dedidisti mihi.* Joh. 14. v. 19. *Vivo ego & vos vivetis.* Job. 19. Vitam in semetipso habet.

7. *Viridis arbor*, Os. 14. v. 9. ex quâ spiritualis nostra viredo, & flos in pietate, cujus succum ex hac arbore trahimus.

8. *Umbrosa arbor*. Sub ejus umbra latemus tuti, Ps. 57. v. 2. Ps. 31. v. 3. Syr. 34. v. 19. contra æstum scilicet tribulationum. 1. Pet. 4. v. 12. Joh. 6. v. 12. ne sol tribulationum nos comburat, Ps. 121. v. 6.

9. *Nidos continens piorum*, qui sunt in hoc mundo, ut volucres, Psal. 11. v. 1. Ergo confugiunt ad hanc arborem Christum. Psal. 4. Vera illa arbor, in quâ tutos nidos faciunt pii, non qualis illa Ezechielis arbor. cap. 31. vers. 6. quæ tandem excisa per Nebucadnezarem.

10. *Religiosa & sacra arbor*, sub quâ preces fundere possumus, thymiana verum adolere. Qui sub alia arbore precum thus adolet, idololatra est, ut Israhelita, 2. Reg. 16. v. 4. In nomine Christi orandum est, Joh. 16. v. 23.

11. *Salutaris & felicissima*. Felix lignum, in quo Haman suspensus. Felix lignum Christus, in quo Satan affixus, peccatum sublatum, chirographum suffixum, Coloss. 2. v. 14.

Q 9 5

12. Im-

12. *Imputribilis arbor*: Caro non vidit corruptionem, Psalm. 16. v. 10. Rami imputribiles; revirescent enim in resurrectione, propter arboris, cui insiti, imputribilitatem, 1. Corinth. 15. Job. 19. *Scio quod redemptor meus vivit.*

13. *Succi vivifici plena*: Ex arboris radice succum rami trahunt. Christus arbor succi plena ramis suis illum communicat, Roman. 11. v. 17. Arborea succum emittunt: Duplicis generis succum emisit arbor nostra Christus:

1. *Sanguinis pretiosi*, in circumcissione, in horti agone, in cruenta passione.

2. *Lachrymarum in Lazari morte*, in Synagoga futura clade.

14. *Arbor aeterna*. Rami quoque durabunt aeternum, Esa. 65. v. 22. Pl. 92. v. 13.

15. *Muniens nos contra incurfiones*, valli materiam & latibulum nobis præbens, in quo positi ictus hostium declinamus.

16. *Media illa arboris in terra excisa per mortem, revirescens per resurrectionem, relegata ad bestias per tentationem*, Marc. 1. v. 13. *luens alienam superbiam*, per alienæ culpæ susceptionem, Dan. 4. v. 7. seqq. Adam stultus ille Nebucadnezar fuit, potentiam affectans, impotentiam consequens, pro sapientia stultitiam; pro paradiso mundi exilium; pro angelis satellitibus stratum gladium. Alleg.

17. *Christus vera arbor thuris*, Cant. 4. v. 14. partim ob oblationem sui ipsius, Ephes. 5. vers. 2. partim ob nostrarum precum acceptationem, quæ instar thuris DEO adole-

mus.

PII

PII RAMI INSITI ARBORI

Christi.

1370. 1. *Ob fructus.* Rami arboris frugiferæ fructum ferunt: Pii fructum ferunt, Christo insiti. Hinc comedunt etiam fructus vitæ, Proverb. 1. v. 33. faciunt fructus pœnitentiæ, Matth. 3. v. 8. centuplum, Matth. 13. v. 8. Ramus sterilis non est in illa arbore, quæ sterili maledixit arbori, Marc. 11. v. 14. Pii faciunt fructus vineæ, quos expectat Dominus vineæ, Matth. 21. v. 34. Conf. Esa. 5. Joh. 15. v. 2. fructus justitiæ, Phil. 1. v. 11. Pii ergo non sint arbores infrugiferæ, Epist. Jud. v. 12.

2. *Ob inhesionem.* Rami pii Christo inhaerent per Spiritus Sancti unionem, Eph. 4. v. 4. Joh. 15. palmites in vite, membra in capite.

3. *Ob sustentationem.* Rami pii ab arbore Christo sustentantur, cum vento tribulationis jactantur, fluctibus deprimuntur, exemplo Petri, Matth. 14. Moventur, non commoventur; turbantur non perturbantur. Ramus quando trunco propior, tanto immobilior. Extremitates solum movet ventus ramorum. Truncum & arborem nostram non movebit: Petra enim immobilis est; Glomeret ventos princeps ille aeris.

4. *Ob succi derivationem.* Rami succum capiunt ex radice arboris. Radix Jesse Christus est, Esa. 11. v. 1. ex hac pii sugunt:

1. Succum & *accretionis*, ut semper proficiant,

2. Et *refrigerationis*, ut ne deficient.

5. *Ob accretionem.* Rami pii in Christo arbore paulatim crescunt, de die in diem renovantur, 2. Cor. 4. v. 16.

6. *Ob umbram.* Rami umbram præbent. Bona ope-

opera sunt proximo nostro umbra, quibus ille reficitur. Hanc bonorum umbram spargunt omnes rami pii; Fides enim per charitatem efficax est, Gal. 5. v. 6. Hi sunt rami *pulchri*, pulchritudine arboris, nempe Christi, cui insiti sunt, Rom. 11. v. 19. 20. *expansi*, latitudine virtutis, nempe erga Deum & proximum, *plantati* dextrâ omnipotentis, Êsa. 60. v. 21.

7. *Ob virorem*. Virentes hi rami erunt perpetuò, Syr. 1. v. 25. quia sunt sapientiæ semper germinantis rami. Hisunt rami dilatantes se in toto mundo, in quo regnum Christi illustre est, Psal. 110. v. 4.

3. *Ob mutuam ramorum conjunctionem*. Pii inter se conjunctissimi, unius Spiritus, bonorum eorundem officiorum communiõne, Eph. 4. v. 3. 4.

QUÆ ET QUALIS INSITIO IN ARBOREM CHRISTUM, Rom. 11. v. 20.

1371. *Hortulanus* est Deus Pater, curam gerens spiritalis horti, & nostri insitionis, Joh. 15. v. 1.

2. *Spiritus Sanctus* est irrigator, tam extrinsecus verbi pluviam fecundans, 1. Cor. 3. v. 7. quàm intrinsecus per administrationem suam, succum ex radice ad nos derivans.

3. *Arbor*, cui inserimur, Christus est, Roman. 11. vers. 17.

4. *Ministeriales* causæ sunt ministri, qui plantant, irrigant, 1. Cor. 3. v. 9. Inserunt instrumentaliter.

5. *Rami* inferendi, homines sunt, non absolutè inferendi, sed quemadmodum inferendæ vitis quædam requisita sunt: ita & hominum Christo implantandum.

1. *Præcisio*. Ramus inferendus præcidendus est. Marc. Varro de re rust. c. 41. Homo præcidendus est ante-

antequam Christo inferatur, præputium cordis aufe-
rendum est, Colos. 2. v. 11. non carnis, quod non valet in
Christo.

2. *Mediæ vitis per medullam diffusio.* Ibid. d. l. Varro.
Cor hominis est instar adipis, Pl. 119, 70. ligni, lapidis,
adamantis. Per medium diffindendum est gladio verbi
Spiritûs. Per medullam secandum est, ut verbum Dei
penetret ossa, medullam, imò ipsam animam, Heb. 4, 12.

3. *Partis ejus cui inferuisti, industria custodiâ,* ne con-
cutiatur. Ita spiritualis illa communio cum Christo
per peccatum solvenda non est. Ramum putrem non
fert nostra vitis sacra, Christus, Joh. 15, v. 2. Per incre-
dulitatem rami possunt ex olea defringi, Rom. 11, v. 20.
Luto oblinenda vitis est, cui inferuisti. Sacrum verbi
lutum semper adhibe, quod Christus nostris oculis im-
ponit, ut visum spiritualem recipiamus. Allegor. ex
Joh. 9, v. 6.

4. *Vinculum & vimen,* quò partes vitis uniuntur,
est Spiritus Sanctus, qui nos cum vite nostra Chri-
sto Jesu conglutinat. Vinculum ille est, quò, ut in cor-
pore naturali anima, beneficio spirituum corpori ad-
hæret: ita per Spiritum Sanctum in Christo vivimus.
Fides quoque vinculum est; sicut ut vice versâ per in-
credulitatem homines ex olea Christo defringuntur,
Rom. 11, v. 20.

5. Ergò cum Christo inferimur, *labruscæ* sumus.
Itaque ex hac vite Christo nati non sumus, quia Chri-
sto inferimur, quod indicat naturæ nostræ corruptio-
nem, Hiob. 5, v. 15. ejusdem sterilitatem & abomina-
tionem, qualis est labruscarum, respectu uvarum. Do-
minus ex Adami vineâ uvas expectavit, & fecit labru-
scas: nos omnes labruscæ sumus, Esa. 5, v. 2. & 4. La-
bruscæ

labruscæ uvæ sunt, quæ antequam maturefcant, putrefcunt, vinum fœtore inficiunt; ita peccatorum noſtrorum multus fœtor eſt, qui ſumus ex labruſcæ, Adamo labruſcæ Gen. 5. Adam ad imaginem ſui genuit filium.

6. Sylveſtris vitis labruſcæ eſt: Ergò nos, qui tales uvæ ſumus, veræ viti Chriſto implantandi ſumus, ut matureſcamus, ejus calore percoquamur, fructum feramus, ex eo dulcedinem hauriamus.

7. Labruſcæ faciunt botros, raros. Homines per peccatum corrupti botros nullos, ex quibus generoſum vinum exprimatur, ferunt: ſed tales, ex quibus vinum illud nequitia, Deut. 32. v. 23. Proverb. 4. v. 17. aquâ peccatorum permixtum, imò ipſum peccatum, Eſa. 5. v. 22.

8. Denique vox illa generalis eſt, omnes acerbos fœtidos & ingratos fructus ſignificat. *Quanto ergo ſtatuſ noſtra natura pejor, tanto divina gratia in hac ſpirituâli inſuone noſtri illuſtrior.*

9. Labruſcæ ſtupidos demes faciunt: Nihil niſi pœnas promerent ſpirituales labruſcæ, quod Judæorum indicat proverbium, Jer. 31. v. 29. 30. Ezech. 18. verſ. 2. Hanc labruſcarum naturam in Chriſto deponimus, in ſtipitiſ naturam tranſimus; ſecus fit in naturali inſitione.

CHRISTUS FONſ, NOS

rivi venenati.

1372. Joh. 4. v. 14. *Aqua, quam Chriſtus dabit, fiet in credente fons aqua ſalientis in vitam æternam.*

1. Ergò fontes ſine aqua ſumus, & velut cloacæ, qui in ſutis puriſſimis rivulis mundamur.

2. Bona autem Chriſti aqua ſunt, quâ irrigamur, fœcundamur, Spiritus Sanctus, juſtitia & vita æterna.

3. Hac

3. Hæc bona sunt in credentibus fons.

1. *Ob spiritualem communionem.* Fons communis est: Bona Christi omnibus communia credentibus: in uno enim spiritu omnes accedimus.

2. *Ob lotionem.* Ex fonte aquas ad lavandum haurimus: Ex spirituali bonorum Christi fonte lavamur & purificamur, Actor. 15. v. 9. *Fide corda purificantur.*

3. *Ob fecundationem.* Fons fecunda reddit loca; ita spiritualis fons bonorum Christi nos fecundos & fertiles frugum spiritualium fecit, Joh. 15. v. 3. Galat. 5. v. 22. 1. Cor. 3. v. 7.

4. *Ob aquarum suppeditationem.* Fons suppeditat aquam: Spiritualis fons Christi salutare aquas nobis præbet, baptismi solatii & refrigerii, Esa. 30. v. 20.

5. *Ob prorupcionem.* Fons prorumpit in altum, non latet in terræ visceribus. Non latet bonorum Christi fons, sed patet per externa signa. Flumen est, Johan. 7. vers. 38. pleno agmine & conspicuo fluens bonorum operum.

6. Hic fons salit in vitam æternam. Rivuli ejus nunquam deficiunt. Salit è peccato in justitiam, è morte in vitam, è terra in cœlum, Salit hic fons contra peccati scatebram, Jer. 6. v. 7.

CHRISTUS QUOMODO

vitis.

1373. Joh. 15. v. 1. *Ego sum vitis vera.* Christus spiritualis nostra vitis est.

1. *Præcisæ.* In circumcissione, in flagellatione, in crucifixione.

2. *Circumfossa,* fraude adversariorum, toties Christo insidiantium & foveas parantium, quando adduxerunt adulteram, Johan. 8. v. 2. nummum Cæsareum, Matth. 22. v. 2. hydropicum, Luc. 14. v. 2.

3. *Li-*

3. *Ligata vinculis*, 1. *Obedientie filialis*, Philip. 2. Obediens factus usque ad mortem crucis, patri: Hæc erga patrem cœlestem: Erga patrem terrestrem CURÆ Josephum, Luc. 2. subditus erat illis. 2. *Miraculosa conceptionis* in utero, in quo se velut ligari passus est. 3. *Pauperrima in præsepio inclusionis*. 4. *Seria nostri dilectionis*. 5. *Cruentia passionis*, quando pro nobis ligatus est.

4. *Pulcherrima*, 1. Corpore. Psal. 45. Pulcherrimus præ filiis hominum.

2. *Folia*, quæ in genere sunt verba & conciones Christi, Nunquam homo sit locutus est, Joh. 7. v. 46. In specie vitis nostra, septem habet folia, quibus suos tegit palmites: Hæc sunt Spiritus S. dona: Vel septem verba Christi in cruce, quorum primum est *summa clementia*: Pater ignosce. Secundum *ineffabilis latitiae* Mecum eris in paradiso. Tertium *Paterna cura*: Ecce mater tua. Quartum *summa afflictionis anima*: Deus meus, cur me dereliquisti? Quintum *Sitis ineffabilis*: Sitio. Sextum *beata summationis*: Consummatum est. Septimum *Spiritus commendationis*: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Hæc folia omnia nostra sunt: nostri causa hæc vitis præcisâ circumfossa, ligata.

5. *Naturam vitis exscribens ad usum*.

1. Bona vitis amat locum apricum, soli ostentum aut expositum, CHRISTUS & vitis est & simul sol est. Amat pectora calore solis cœlestis plena. Frigida illa fastidit.

2. Vitis amat aërem purum & clarum. Christus amat sincerum aërem cordis. Amat dulcem terram, non amarâ: cordis dulcem terram amat Christus vitis, non amarulentiam plenam.

3. Li-

3. Lignum vitis *Fertilissimum*. Fructus ex Christo uberissimi sunt, lignum ejus luxuriat fructuum multitudi-
ne, ramorum expansione.

4. *Folia vitis* vulnera mundare perhibentur. Christi verba folia sunt, quæ nos mundant. Conf. Plin. lib. 23. in procem.

5. *Vitis & flos & odor* venenum expellit. Christus, flos justitiæ & odor oblationis promptissimæ peccati venenum tollit. Serpentes fugiunt, vitibus florentibus. Fugit serpens antiquus, cum flos Christus vera fide ostenditur, 1. Petr. 5. v. 8. Jac. 4. v. 7.

6. Hæc vitis incisa in lateris apertione: Vis ejus expressa in torcularis (passionis. Vid. ibid.) calcatione. Incisa in cruce aquam dedit: Expressa vinum solatii & lætitiæ nostræ præbuit.

7. Lachrymæ vitis, quæ velut gummi est, lepram tollere dicuntur, teste Plinio. Tom. 2. l. 23. in procem. Viti nostræ Christo non deest lachryma fletus in cruce, Hebr. 5. v. 7. lachryma sanguinei sudoris in horto, lachryma compassionis in Solymarum excidio, Luc. 19. Hæ Christi lachrymæ & succi peccatorum nostrorum lepræ medentur.

CHRISTUS QUOMODO CIBUS

noster & panis.

1374. Joh. 6. v. 61. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

1. Christus ergo panis est, 1. Cor corroborans nostrum, Psalm. 104. vers. 15. cum illum nos condemnare vult, 1. Joh. 3. v. 20. cum ærumnosum est & ὄλιγον ὄπις οὖν,

R r

Jer.

Jer. 15. v. 17. & Davidis querelam ingeminamus, Pf. 38. vers. 9. & 11. Hic panis vitæ cordis nostri palpitationem tollit.

2. *Vitam conservans.* Ut panis vitam hominis conservat: ita vitam & corporalem & spiritualem panis vitæ Christus. *Vivit in me Christus*, Gal. 2. v. 20. 21.

3. *Vires suppeditans.* Cum debiles & infirmi sumus, panis vitæ Christus vires suppeditat: Ef. 14. v. 29. seq. Ef. 27. v. 5. 6. 7. 2. Cor. 12. v. 9. Pf. 37. v. 24.

4. *Comedendus.* Panis esus præstat vires: Christus vera fide edendus, apprehendendus, d. J. Joh. atq; ita

5. *Uniendus nobis.* Sicut panis unitus nostræ naturæ per nutritionem & assimilationem: ita panis vitæ Christus in nutrimentum animæ spirituale assumendus est, eidemque velut agglutinandus, ut cum Christo unum simus.

6. *Ordinario cursu* vita non potest sine pane conservari: Nullo modo absque hoc pane vitæ, vitam æternam poterit quis ingredi. Si enim manducans hunc panem, vivit in æternum, non manducans morietur in æternum, Joh. 6. v. 55. seq.

7. Panis hic est contra famem; quantum præsidii in pane quærimus, contra famem temporalem, tantum & multo excellentius nobis in Christo contra famem spirituales, Matth. 5. v. 6. *Beati, qui esuriunt & sitiunt iustitiam*, quoniam saturabuntur, bonis implentur, Luc. 1. v. 53. bonis domus Dei, Psal. 36. v. 9. Conf. all. Psal. 107. v. 5. 9. Qui sibi divites videntur, Apoc. 3. v. 18. esurient, Pf. 34. v. 11. Vide Jerem. 31. v. 12. *Ultra non esurient.* Expletur fames illa in regno gloriæ completivè, Apoc. 7. v. 16.

2. *Panis vivus* vel vitæ, quia confert vitam spiritualem, Num. 2. sup. non moritur comedens.

3. De

3. *De cælo descendit*: in terra enim tantum mors fuit. Panis vitæ de cælo delapsus est; Panis vivus est: Terrenus panis vivus non est: Ejus portio vitam in nobis accipit sanguificata ex vitalibus viribus: A nobis accipit, ut pascat: non enim pascit, nisi in sanguinem mutetur.

At Christus vivus panis est, à nobis non accipit, ut pascat, sed nos pascimur in illo, Joh. 10. v. 9. in illo vitam habemus.

4. *Caro mea est*, inquit Christus, ergò sacrificiorum carnes mactatæ vitam conferre non potuerunt. Caro nostra mortua est, quæ vivifico hoc pane pascenda, nutrienda.



CAPUT XVII.

DE

SACRAMENTIS
IN GENERE.VERBO ET SACRAMENTIS
SANAMUR.

1375. *Mulier sanguinis profusivò laborans, Christi ambulantis simbriam tangebatur, & sanitati restituta fuit:* Marc. 5. v. 27. Ita omnes sumus immundi, Job. 14. v. 4. sanguinis profusivò laboramus, h. e. peccatorum for-
dibus inquinati, imò toti jacemus in sanguine, Ezech. 16. v. 6. Psal. 51. v. 16. *Libera me de sanguinibus.* Ambulat autem Christus adhuc inter nos, Apoc. 2. v. 1. Fin-
Rr 2 bria